

15.

— 11 8 — 6 —

~~3602~~
Medicin. 1394.

3 - 0

56.

Mat. med. ~~64~~

162.

QUOD DEUS BENE VORTAT!

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

JOANNE GUILIELMO,
Duce Saxoniae, Jul., Cliv. ac Mont.
&c. &c.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM

De

CANCRO
OCCULTO,

Indultu atque Autoritate Illustris ac Gratosissima Facultatis
Medicae in florentissima Academia Salana,

PRÆSIDE PRO-RECTORE MAGNIFICO

AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO,

Med. Doct. Anat. Chirurg. & Botan. Prof. Publico,
Archiatro Ducali Saxonico,

Patrono, Praeceptore ac Promotore suo atatem observando
PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ Honores, Insignia ac Privilegia Doctoralia
MORE MAJORUM solemniter capeffendi,
publico Pbiliatorum examini submittit

JOHANNES FRIDERICUS HERWIG,

Steinbacensis Thuringus,
IN AUDITORIO MAJORI
Horis ante & pomeridianis

Ad Diem 29. August. Anno M DC LXXXII.

JENÆ, Literis KREBSIANIS,

Serenissimo Principi ac Domino,

D O M I N O

BERNHARDO

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae ac
Montium, Landgravio Thuringiae, Mar-
chioni Misniae, Principali dignitate Co-
miti Hennebergiae, Comiti Marcae
& Ravensbergae, Dynastae in Ra-
venstein,

Domino suo Clementissimo,

Disputationem hanc Inauguralem
Medicam

humillimo pectore offert

Serenissimae suae Celsitudinis

subjectissimus servus

JOHANNES FRIDERICUS HERWIG, Med. Ddus.



PRO O E M I U M.

L minima scintillâ magnum sæpius in MA-
 CROCOSMO excitari & periculosissimum
 incendium, nemo propter quotidianam
 ferè experientiam in dubium vocabit.
 Tantis etenim procellis tantisque inju-
 riis expositus ille est, ut nulla dies, nulla hora, imò nul-
 lum horulæ momentum supersit, quod tutum illum fo-
 re affirmare queat. Pariter etiam MICROCOSMUS levi ex
 principio Herculeum cogitur pati morbum, interitum
 simul minitantem totius. Innumera quidem sunt mor-
 borum genera, diversissimis eundem agitantia cruciati-
 bus; nec unica hujusdem est particula, quin suos pati co-
 gatur manes, tortores ceteris vexantes plagis, sæpè stri-
 cto quasi gladio vi satis enormi invadentes; sæpè virulē-
 tæ ad instar aspidis latitant, sensim sensimque virus evo-
 munt suum, in lympham sanguinis vehiculum, mollio-
 raque glandularum corpora ita inficiunt, ut infensissi-
 mus denique resultet microcosmi hostis. Insidiosissimus
 omnium ex his est CANCER OCCULTUS, nulli ætati,
 nullique sexui parcens, ex levissimâ sæpè occasione ori-
 ginem capiens, qui licet in principio nullius ferè vi-
 deatur & habeatur momenti, non tamen ideò con-
 temnendus. Occultè agit, occultas alit radices, nec
 tamen relinquendus intentatus, ex levi principio pro-
 diens hic hostis, qui malitiam insignem suo fovet in gre-
 mio, posthâc per totum spargendam microcosmi ædi-
 ficium.

ficiam. Sapere proinde conveniet Medico, anguēmq; hunc primā suffocare sub herba, ne pleniores adeptus vires microcosmi invertat œconomiam. Operæ itaq; duxi pretium, hujus gravissima minitantis mala morbi scrutinium suscipere, pro virium modulo eundem examinare & auctoritate gratiosi ordinis Medici in præfenti disputatione inaugurali publico exponere examini. Ut verò hic labor benè cedat, faxit summus animæ corporisque nostri Archiater!

CAPUT I.

de definitione nominali & reali.

Solliciti de hujus affectus nomenclatura, etymon ejusdem deprehendimus apud Græcos, qui καρκίνον & καρκίνωμα, & apud Latinos, qui *Cancerum* appellitant, rationem denominationis utrinque mutuantes à piscium illorum genere, qui Germanis die Krebsse dicuntur; siquidem in tumorem rotundum, cancri marini corpus (licet non adeò exactè) referentem, venas autem tumidas ex atro lividas habentem, pedes expansos exprimentes, excrefcere solet. Vid. Gal. ad Glaucon. lib. 2. cap. 10. Sachs. in Gammarolog. lib. 1. cap. 10. §. 7. & Gorræus. definit. medic. p. m. 209. & 210. Occultus vocatur ad differentiam exulcerati aut aperti. Ille sæpè occultatus per plures latitat annos, errore tamen in-vel externo excitatus tubercula, sine ulcere tamen, emittit magisque protuberare incipit. Hic verò serpit ulteriq; occupatas partes depascit, continuo erodit labiis exulceratis, teter adspectu, quem hanc ob rationem Græci φαγέδαιναν, δὲ τὸ φαγεῖν, exedendo nuncupare sueverunt.

Homonymias ratione cancri nomen diversimodè accipitur. Et quidem in latâ significatione denotat (i) signum cœle-

cœleste seu sidus Zodiaci Astronomis. (2) Vinculi genus à Chirurgis καρκινον, *Cancer*, adpellitur, capiti pro deligatione conveniens, *Gal. l. de fasciis*. (3) Anatomici καρκινον quoque vocarunt ος ζυγωδες, & *concauum aurium*, ubi fordes cumulantur. (4) Calceamenti genus est Hefychio. (5) Medicis *morbis* est malignus & malum, quod latè solet immedicabile serpere & illæsis vitiatas addere partes, juxta Ovidium. De hoc noster jam erit sermo. Denique & quidem propriè (6) pro pisce crustato, notissimo animalium genere.

Synonymiam consideraturis varia occurrunt nomina. Ita carcinodes tumor vocatur cancro similis vel ad cancri naturam accedens. Item Carcinoma apud Dioscorid. *lib. 1. & 2. & Cels. lib. 5. cap. 28.* Cancrosum tuberculum aliis. Nobis occultus seu latitans Cancer, der verborgene Krebs. Hisce præmissis sequens sit definitio realis:

Cancer occultus est tumor malignus partium glandulosarum, durus, inæqualis, à lymphâ acri, acidâ, austerâ subsistente, cum vel sine dolore productus.

Genus seu ratio formalis est tumor. Tumorem confirmat extensio partium glandulosarum p. n., primùm certo quasi loco inclusa, hinc sensim in omnes dimensiones, longum, latum & profundum excrescens. Qui enim in principio vix ciceris aut pisi magnitudinem adæquat, successive, vel tardius vel citius, capit incrementum, modò cum, modò sine notabili doloris præsentia; & proinde hæc tumoris species locum habet inter morbos conformationis in auctâ magnitudine, siquidem glandulæ, quæ ferè omnem ibidem fugiunt sensum, à cancro obsessæ, nunc p. n. auctæ visuntur.

Malignum hunc diximus, non, quòd malignitate (mali-tiâ potius) suâ aliorum inquinare non valeat corpora, sed respectu habitò ad alios tumores benignos, molles, æquales, resolubiles & curabiles, qui per medicamenta operaturæ vigorata, vel planè discutiuntur vel in pus convertuntur, hocque remoto sanantur. In cancro verò occul-

tô longè alia est malignitas, quæ adeò fixa ac glandulis ita infixæ hæret, ut sæpè longo latitet tempore, canis adinstar catenis alligati, qui filet; irritatus verò latrat & lædit. Plures etenim per annos occultatus latitat cancer, donec irritatus vel in - vel externis suam malitiam pessimumq; morem ostendat, ac fermenti hujus peregrini characterem ad totius corporis habitum vel maximam ejus partem dispergat, lympham cum glandulis, ejusdem colatoriis occupet & denique virulentia erodente h. e. malignâ earum corpora corrumpat.

Et quamvis talem secum ferat malignitatem, in recessu tamen hæc est & citra contagium, nisi quod in ipso corpore individuali serpat & semina sua ab una glandulosa parte ad alterâ cum lymphâ infecta cogat; & quia hoc magis fixum, feminale aut volatile fermentum ad extra diffundere ac in aliorum corpora transplantare minimè valeat; sed cum neque assimilari partibus illa vitiata lymphâ, neque in pus converti ac removeri potest; impacta verò penitus poris glandularum morâ suâ magis magisque corrumpitur, & majori conceptâ acrimoniâ ad extra erumpere, sævire tunc & per exulcerationem occupatas depascere solet partes.

Tumoris verò durities & inæqualitas in principio adeò exigua utraque observatur, ut tam exitiosum hospitem, potius abesse, quàm adesse credideris; nihilominus tamen successivò tempore tam dolor, qui sub initium vix notabilis, quàm calor, qui vix perceptibilis erat, uterque magis fit notabilis ac gravativus, majora affectis minitans symptomata partibus.

CAP. II.

Subjectum delineat.

Inquirenda nobis nunc est pars affecta, ut facilius in reliquorum cognitionem etiam deveniamus.

Pars

Pars itaque principaliter affecta seu subjectum principale habentur *partes glandulosæ*, non tamen exclusis partibus *mollioribus*, quæ sibi intermixtas habent glandulas.

Innumeræ sunt in corpore glandulæ, non tamen unius generis & hinc neque omnes uno eodemque modo corrumpuntur. Certum quidem est nullam in corpore existere partem, quæ glandulis non sit referta & vasis lymphaticis; & ideo ab invasione cancri nulla videtur libera; nihilo tamen minus alia pars magis, alia minus inficitur. Quò magis verò partes scaturiunt glandulis, eò magis raræ, laxæ, molles, spongiosæ sunt magisque dispositæ ad principia cancri recipienda, quæ satis diu interdum & clanculum fovent, usque dum virus latitans, retineri nescium, effunditur ad exteriora, exedendo cum subjacentibus glandulosis etiam extimam & coriaceam vestem.

Et quamvis glandulæ sint lymphæ receptacula & vforum lymphaticorum stamina, à quibus, cum recto ac naturali cursu se habent, nil metuendum morbi; à naturali autem secedentes functione, lymphæque vitiosè stagnante oppressæ, præsentem nec alterare, nec ad excretionem disponere sufficiunt; sed potius corrupta lymphæ ibi hæret, & interius duritiem & inæqualitatem gignit, occultum declarans cancrum. Simulac verò erodendi accipit vim lymphæ, in rabiem quasi coacta exteriora simul occupat, exedit & vicinas porrò inquinat glandulas; siquidem maximus inter glandulas est consensus, ut quibusdam affectis, facile ad plures cogatur hoc malum. Ita è mammis serpit ad glandulas axillares, ex his sursum ad cervicem & parotidas occupat, sensimque ad interitum corpus præparare solet.

Manifestum proinde est, principaliter à cancro affici mammarum glandulas vicinas, axillares, parotidas &c Ex mollioribus autem spongiosis, uliginosis, & ex his mixtis sunt uterus, labia, os, oculus, nasus, genæ, omnesque faciei

ciei

ciei partes externæ, & simul post degenerationem ipsa cutis.

Hæ omnes ac singulæ ratione glandulosæ substantiæ subjectum esse possunt principale, vel ob innatam quandam dispositionem, qualis sub nævis maternis sæpè latitat; vel ob externam aliquam occasionem.

Quæ verò glandularum reliquæ sunt partes, venæ, arteriæ, vasa lymphatica, fibræ, pori, cavitates, subjecti inadæquati vices suppleant. His verò simul affectis non potest hospitis hujus malitia amplius manere occulta, sed in conspectum solet prodire propriè ita dicendus cancer, fitumque suum ad alias extendere adjacentes partes.

C A P. III.

Causarum rationem expendit.

INventâ morbi sede ad ipsas causas cognoscendas devolvimur; quarum enucleatio summè est necessaria; tunc enim rem scimus, quando per causas eandem cognoscimus.

Causa *immediata* est lymphæ acris, austeræ, acidæ stasis. Per consueta quidem vasa fertur ad minimas etiam partes lymphæ stasis expeditè; datâ verò in glandulis remorâ ichorefcit & peregrinam magis magisque induit naturam, diversâ demum inquinata labe acri acida biliosa viscida prædominium obtinente, glandulosis partibus sese firmiter insinuat, tumorumque talium felix existit mater.

Causa *mediata proximior* est omne illud, quod lymphæ *stasim* inducere valet; estque vel *externa*, vel *interna*. Hæc quoad essentiam considerata est vel vaporosa vel humorosa. Vapores quidem vix sufficient tumores hosce procurare rebelles; ideò *humores* quoad essentiam hîc penitus considerari debent, & speciatim lymphæ, tam quantitate, quàm qualitate & motu peccans.

Quoad

Quoad *quantitatem* peccat ille, quando ob circulationem impeditam in glandulis accumulatur, *σίσις* suâ harundem substantiam gravat, invertit & ad tumorem talem cogit.

Potissimum verò qualitas istius accusanda venit, & (I) *acrimonia*, quam à bile adustâ derivant veteres, recentiores verò acidum appellant, ad naturam arsenici accedens, occultum in cancro incipiente & nondum exulcerato. Post verò irritatum in effervescentias cogitur & malignitate ad extra coacta ulcus facit cancrosum. (II) *Aciditate & corrosivitate* peccat lymphæ, quæ aliàs in statu naturali dulcis, blanda ac limpida, hîc ob perpeffam corruptionem acida ac erodens facta, nutritibilem succum corrosivitate sua corrumpit, ut propter laudabilis nutrimenti defectum partes labefactentur & gracilescant. (III.) *Tenacitas* five visciditas lymphæ ab acido austero omnis fixitatis & coaguli autore provenit. Exiit enim vitalitatem suam lymphæ, quæ in glandulis stagnat, & vappescens reddita & crassior, illas distendit.

Circa hæc verò observandus *motus* tum generationis tum localis. (1) Ratione *generationis* certum ac indubium est à peregrino charactere humorum adeò corrumpi posse in corpore nostro lympham, ut per se tunc nullo concurrente stimulo aliò in glandulas virus conceptum eruptare sufficiat. Et ita lymphæ talis, morborum aliorum fœtus, hujus etiam cancri generationem promovere potis est exemplo febris quartanæ, quæ aliàs variorum morborum mater existit fœcundissima, tumorem tamen in hac vel illa parte, cancriformem præ se ferentem reliquisse visa fuit juxta *Timæum lib. 4. Obs. M. cas. 40.* Similiter eundem cancrum in fœminis à mensium suppressione ortum experientia testatur. (2.) Ratione *motus localis.* Influit cum sanguine serum sive lymphæ, ejusdem individuus comes, & ipsum hujus vitium à totò tanquàm à parte mandante per *ῥοματισμὸν* in glandulas tanquam partem recipientem debilitatam. Ita à punctura acus in mam-

mâ dextrâ cancerum excitatum elegans exemplum ab excellentissimo D.D. Wedelio in *amœnit. Mater. Med.* annotatum legimus, ubi quoque simul manifestum fit, materiam illam per *συναρτησιμὸν* in mammâ affectâ collectam fuisse, factâ scilicet stasi & ichorefcente lymphâ.

Obstructiones viscerum, plurimorum aliàs morborum matres, suum quoque huc conferunt symbolum. Perpetua enim viscerum primæ ac secundæ coctioni inservientium humorumque uti necesse est harmonia, ita à naturali statu secedens cruditates ac vitia primæ culinæ non solum parit, sed etiam in depuratoriis vix corrigibilia ipsi massæ sanguinæ miscet, fonti tam humorum omnium, quàm morborum omnium.

Huc quoque spectant causarum quædam externarum, *terror, fractura* vel fissura vasis neglecta, nimia thoracis *constrictura*, quando juvenulæ amant incedere juncæ, mammasque cogere nimium; aut contrectatio glandularum partium fortior ac impetuosa. Utriusque hujus exemplum licuit mihi observare ex praxi Magnif. D. D. Præsidis. *Illud* in virgine nobili, *hoc* in juvenula plebeja, cujus mammam dextram temerarius violentâ manu contrectavit, ut dolorem & tumorem reliquerit. Nihil verò hæc curans juvenula, molestias ac tumoris infecutam duritiem patienter toleravit, usque dum cancrofa facta tota mamilla exulceratum exhibuerit, horribilem aspectu cancerum, cuj⁹ malitia intra sex menses omnes simul occupavit glandulas axillares, jugulares, tonsillas ac parotidas, interitum certissimum indicantes, qui brevi post infecutus est. *Illâ* verò ex mero pudore omnia reticuit, usque dum exulceratione factâ ob vitium lymphæ hujusque defectum nutritibilis macie occupata fuerit incorrigibili, ad mortem, quæ citò citiùs infecuta, illam ducente.

Vias sive vasa quod attinet, arteriosa in toto corpore ubique præsentia deprehendimus, quæ uti adducunt omnibus partibus nutrimentum, ita simul cum hoc vitium illud peregrinum massæ sanguinæ permixtum ducere possunt,

sunt,

sunt, quod tunc Archeus modò ad hanc, modò ad aliam, debilitatam tamen aut dispositam, partem amandare valet. Et licet venæ revehant sanguinem, & lymphatica vasa lympham, utrumque humorem superfluum, nihilo tamen minùs in glandulis dispositis relinquitur particula, ad ichorescentiam & vappescentiam proclivis.

CAPUT IV.

Causas mediatas remotiores examinat.

CAusarum remotiorum examen suscepturi, triplices easdem deprehendimus: naturales, nonnaturales & præternaturales. Inter NATURALES temperamentum *melancholico-pituitosum* satis aptum natum est ad cruditates tum in primis, tum secundis viis adaugendas, maximè verò qualitates peccantes. Quid enim aliud notat *melancholia*, quam diathesin humorum particulis terrestribus salinis & acidis imprægnatam; & *pituita*, quam ferum omni vitalitate ferè exutum & ad concretionem seu coagulum mirum quantum proclive.

Ætas aliàs ab ætate differt; sed hic vix valebit exceptio ulla. Juvenilis æquè ac consistens, puerilis æquè ac senilis hòc vexatur à malo. Consistens tamen ad viscedinem ac lentorem magis prona est, siquidem sanguis & imprimis lymphæ de statu suo oleoso balsamico defleuntur, & peregrinam induunt naturam.

Consentit quoque ad hujus mali genituram *habitus corporis* densior, quippè qui humorum insensibili transpirationi viam præcludit, impuramque reddit lympham.

Dispositio hereditaria parum aut nihil huc confert, nisi *αὐγὴς* paulò; siquidem hujus mali contagium est magis fixum, ceu supra innuimus, unde neque ab extra, neque

ab intra, contagium, quod aliis comunicari possit, oriri credimus.

Sexus sequior ferè prerogativam hic habet. Majori enim vehementiâ hic hostis ob partes nempè molliores & magis glandulosas invadit sequiorem sexum, quàm potiorem, ratione & experientia testibus. *Helmont. tr. de iudicis morb.*, nusquam, nisi in ubere & utero verum oriri cancrum scribit. Mensium enim fluxus non ritè succedens dyscrasiam sanguinis, & simul multas alias in corpore à ταραξίας parit.

Causæ nunc ordine sequuntur NONNATURALES, inter quas agmen ducit *aer*, cujus maxima vis est in motu lymphæ variando & serenando. Ab hujus enim ambitu diversus observatur effectus & tam ad inferendas injurias agit, quàm ad recipiendas easdem subjecta disponit. Facit huc *frigidus & uvidus*; ille concentrando, hic coacervando, quatenus humores aliàs per ἀδηλον ἀγπρωὸν excerni soliti accumuluntur, sicque serum torpidum & viscidum reddunt. Subitanea etiam aeris mutatio ex calido in frigidum, vel ex frigido in calidum, factò ab uno extremo ad alterum progressu, noxam inferre potest. Quantum autem ἀσυχύσει aer corpus alterare valet, tantum etiam εἰσπνοῇ efficere valebit.

Cibus & potus, à quibus sanitas corporis humani seu integra conservanda, seu labefactata recuperanda maximam partem dependet, accusandus uterque venit. Quæ nimia quantitate ingeruntur, fermentum ventriculi obruunt, ejusque vitalitatem destruunt, unde perfectæ ingestorum solutioni impar, cruda vitia in prima coctione perpetrata massæ communicat sanguineæ. Varietas quidem ciborum delectat, qualitates tamen diversæ in iisdem diversas formant naturas, ut hinc ex malo corvo metuendum sit malum ovum. Et hoc ipsum tam de solidis, quàm liquidis affirmandum; quippè acidorum nimia assumptio, nivofarum & crudiorum aquarum ingurgitatio glandularum κρῆσις invertere & ad tumores, scirrhos

rhos

rhos, scrophulas, strumas, disponere easdem valebunt; exemplo habitantium prope Alpes, strumas scrophulasq; inde reportantium.

Motus & quies huc quoque referendi sunt. Quemadmodum *ille* non excedens est necessarius, & ad chyli *μολυσιν* impediendam, circulationem sanguinis ventilandam & spirituum utrorumque vigorem servandum non parum confert, ita vel in excessu vel defectu peccans malus est, imprimis ille, qui statim post cibum assumptum instituitur, chylicationis opus turbat, chyliq; semicocti vitia in massam sanguineam præcipitat. Ita etiam quies immoderata motum intestinorum peristalticum impedit, partiumque humorosarum insensibilem transpirationem inhibet. Etenim nî moveantur aquæ, corrumpuntur, lentescunt & ad tumores efficiendos satis fiunt idonei.

Idem sentiendum de *somno & vigiliis* immodicis. *Haec* modum si excedant, lympham absumunt, corpus enervant, nam quod caret alterna requie, durable non est; *illi* verò, si nimium indulgeatur, ferum fit torpidius & per consequens vappescens, ichorefcens & glandulis inimicum.

Excreta & retenta quantum ad sanitatem tuendam & detrimentum inferendum concurrant, non opus, ut prolixè probemus. Non unius generis emunctoria in corpore humano visuntur pro excernendis & eliminandis ferofitatum excrementis. Sic transpiratione insensibili prohibita, hyemali præsertim tempore, febres, inflammationes, dolores & tumores generantur. Spectant huc mensium suppressiones in fœminis, hæmorrhoidum obstructions in viris, item alvus adstricta, copia lactis post ablactationem præfens, non dissipata; & hujuscemodi alia. Eadem ratio ferè est *retinendorum*, si enim v. g. sanguis in nimia quantitate excernatur & balsamo seu vigore suo orbetur, circulus ejus læditur, & tumores inde oriri possunt.

Agmen harum causarum claudunt *animi pathemata*, quantas verò inducere corpori mutationes, & quàm amplissimam

plurimum portam huic malo aperire valeant, abundè constat. Ex omnibus ferè nominandus est *terror*, in excludendo malo hoc felicissimus pater; unde non opus pluribus est verbis, ubi rerum adsunt testimonia.

PRÆTERNATURALES variæ concurrunt, obstructions viscerum, cacochymia scorbutica, febris quartana, fracturæ ossium &c. quarum omnium superius facta fuit mentio.

CAPUT V.

Differentias eruit.

Differentiæ quæ occurrunt, sunt variæ. Ratione *speciei* cancer alius est occultus, alius apertus seu exulceratus; *ille*, qui longo tempore filet & respectivè quasi benignus; *hic* progressivus & magis malignus. Alius est *imminens* & adhuc in principio, alius, qui altas radices jam egit, *radicatus*. Alius ab errore *externo*, alius à causa internâ, ac profundius latitante, imò in tot abit differentias, quot illarum suum conferunt symbolum.

Ratione *coloris* alius interdum fit cum *rubore*, alius cum *livore*. Ratione *accidentium* alius est *primarius*, qui citra prægressum aliam morbum invadit, alius *secundarius*, qui alios graviores morbos & symptomata succedit, ut febrim quartanam, suppressionem mensium &c.

Differt etiam juxta *Avicennam lib. 1. p. 55.* ab aliis v. gr. *duritie*, quando cancer alius *mobilis*, lædens & radices habet innexas, membri non destruens sensum; alius *permanens* in membro in eòdem statu & destruens ejus sensum.

CAPUT VI.

Signa diagnostica & prognostica continet.

Vera diagnostos cognitio rectæ curationis clavis est. Etsi spontè tumor hic in sensum incurrat, nec signis opus videatur, attamen ut feliciter ab aliis congenere-
ribus

ribus discerni possit affectibus, signa pathognomonica examinandam sunt.

Imminentem vel potius incipientem significant (1) *Essentialiter inherencia*, & quidem *tumor* in principio valde exiguus & ciceris magnitudinem vix æquans, in partibus glandosis ultra spheram ordinariam modò cum, modò citra causam manifestam sese exserens, non tamen simplex, sed cum malignitate conjunctus. (2) *Essentialiter consequentia* symptomata ex priori manantia sunt varia. Ita (1) *Ratione actionum animalium* læsarum fiunt gravitas & dolor capitis, modò major, modò minor, ob humores acres distendendo & vellicando membranas cerebri, vigiliæ contumaces ob lymphæ statum acetosum & defectum sulphuris ligantis, somnus interruptus ac turbulentus. (2) *Ratione vitalium virium* lapsus, pulsus debilis & frequens, febris lenta & alia. (3) *Ratione actionum naturalium* sese offerunt appetitus prostratus, chylificatio læsa, nutritio sensim atque sensim labascens, partium atrophia ac tabes, cachexia, sitis pro ratione salium vel in excessu vel in defectu. (4) *In qualitatibus mutatis* oculi alborem suum ferè amittunt, intumescunt contrahunt, oris color pallidior & obscurior, faciesque evadit cadaverosa, decore suo vitali orbata, imò prout lymphæ in corpore vitata planè est, etiam universale importat & communicat vitium. (5) *Causæ prægressæ* sive *externæ*, quæ fati obviæ & ex relatione ægri patent; sive *internæ*, quarum superius mentio facta, huc etiam referendæ. (6) *Quin & similitudo* idem confirmat, comparatione institutâ ad alios simili morbo laborantes. (7) *Signa subjecti* quod attinet, illa facilè detegunt tangenti & videnti, qualis sit tumor, & ubi radicetur.

PROGNOSIS medico scitu maximè necessaria est & occupata (1) *circa salutem & mortem*. *Ratione Generis* Cancer non est periculosus, nec incurabilis, quando adhuc recens massaque sanguinea nondum infecta est æger non ingenti symptomatum divexatus catervâ, viribus adhuc constet integris.

fins

sine febris, & munus suum obire potest, quod & *Heurnius* in *notis ad 6. aph. 38.* affirmat, *initio* inquit, *curabiles sunt*: cum solum propagant fibras suas: tamen non omnes, sed in quibus nulla reliqua in avulsione remanet fibra. *Verum* initio neglectus, periculosior & ferè incurabilis evadit, imò non tam necare statim, quàm cruciare ægros valet. Si verò ultimus gradus immineat, & non tantum partes molles, humorosas & spirituosas, sed & ipsa interiora afficiat, absolutè incurabilem esse, & si non per se, tamen ob innumera supervenientia symptomata accelerare mortem pronunciamus.

Non minus quoque ratione *causarum* variat; gravior enim esse solet ille, qui à causis internis, ab humoribus nempe acidis, austeris, salinis oritur; hi enim dolores, obstructions & plura alia inferunt. Facilius verò ille curatur, qui à causis externis, citra alios morbos irruit, & qui denique à medicamentis adhibitis remittit.

Longitudinis & Brevitatis signa si spectemus, illa etiam variant variis modis. Affectus hic est chronicus, contumax & rebellis, & non tantum per menses, sed per plures annos, imò per totam vitam nonnunquam durans, omnemque curam eludens, quale ergò ex his prognosticum sit faciendum, omnibus liquet, lentæ enim interiectioni affectos tradit.

Modus eventus etiam considerandus venit. Etsi enim cancer pro incurabili morbo ferè habeatur, & plerumque lethalityatem inferat, nisi in tempore, quod tamen omnium rerum primum est, obviam eatur, & in primâ herbâ quasi suffocetur. Incurabilis tamen evadit & magis errore ægrorum, generosa præsidia non admittentium, maxime autem negligentia; admodum enim solenne est, medicum tunc vocare, quando summa necessitas tandem cogit. Optimè hanc in rem scribit *Forestus lib. XXVIII. Observ. XLIII.* Uterque, occultus scilicet & ulceratus, incurabilis est, quia abscindi non potest. Cum incipit, negligitur, quia magnam molestiam non adfert, quo tempore posset prohibe-

ri

si incrementum medicamentis & optimâ victus ratione.

Ad *Salutem* terminatur, si lymphæ motus restituitur, & ad coagulum & *σύνων* prona resolvitur, glandulæ & fibræ roborantur, non minus quoque viscerum internorum tonus observatur.

Ad *mortem* verò tendit sensim sensimque, tumore crescente, luxuriante, & in ulceratum degenerante, succedente febre lentâ, & subsequo nonnunquam marasmo.

CAPUT VII.

Curationem delineat ex chirurgiâ.

CONsideratô affectus hujus genio, medendi methodum tribus nitentem indicationibus, ordine evolvimus. In sola enim theoria seu nudâ contemplatione non acquiescere Medicus, sed omnia ad certum finem dirigere debet. Et quamvis cancri occulti curationem, videatur improbare *Hippocrat. 6. apb. 38.* Quibus, inquit, occulti cancri fiunt, non curare melius: Curati enim citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt; non tamen omnem curationem, sed potius religiosam & medicamenta, quibus malum magis exacerbari potest, rejicit, hinc melius esse ducit negligere, quàm hunc silentem quasi canem irritare. Quæ verba etiam suprâ laudatus *D. D. Wedelius* optimè ita explicat in *Amanitat. M. M. p. 52. & 53.* Quibus occulti cancri, (tecti, non aperti, latitantes intus, nondum se exerentes aperto Marte) fiunt, non curare (seu emollientibus seu aperiendo cum ferro, cum nullum pus subsit, quod evacuari desideret, sed potius materia suppurari inepta) melius (tolerabiliusque est, cum ex duobus malis eligendum sit minus, cumque si prodesse non possimus, saltim non obesse debeamus) curati enim (hòc pactò
C præ-

præpofterè neglecta hâc cautelâ) citius intereunt, (malo exasperato) non curati verò longiùs vitam trahunt. In-
tereà indicatio *curatoria* tollendum hunc tumorem, serum
stagnans diffundendum, & pristinæ, quantum fieri
potest, naturæ bonitati invigilandum suadet.

Præservatoria in ablatione causarum quarumcunque,
huic malo velificantium, occupata est, obstructions &
lymphæ remoras in tempore removendas, motumque hu-
jus liberiolem promovendum, & ab omni inquinamento
liberam servandam jubet.

Vitalis virium rationem habere, & symptomata alia
urgentia mitigare præcipit.

Hocce ut assequamur scopos, *triplex* Medicorum ga-
zophylacium: Chirurgicum, Pharmaceuticum & Diæteti-
cum largâ manu surrogabit præsidiorum materiam.

VENÆSECTIO, è *chirurgia* nobile & heroicum remedi-
um, in morbo nostro commendatur, quæ quidem causæ
ut causæ ordinariè non convenit, siquidem vitium ma-
gis hæret in lymphæ spissitudine & ichorescentiâ, nihil-
ominus tamen sanguinis qualitatem, intemperiem, spissi-
tudinem corrigit, & in motum citat, ut ejus motu redinte-
grato seri, comitis illius, circulatio impedita simul promo-
veatur, & ita antevertatur hoc malum.

Cucurbitula, V.S. succedaneæ, modò siccæ, modò sca-
rificatæ, profunt; *illæ*, quatenus poros referant, lympham
stagnantem in motum citant, & ejus copiam dissipant; *hæ*
quatenus magis sensibilibus ob glandularum & vasorum
lymphaticorum in partibus extimis notabilem copiam di-
vertunt & evacuant.

Friciones cum linteaminibus calidis institutæ
poros aperiunt, exhalationibus humorum vias pandunt,
calorem internum per fuscitabulum hoc externum refo-
cillant, & motum seri alacriorem reddunt. Similiter *Vesti-
catoria* nuchæ applicata serum ichorescens & venenum cor-
rosivum remove valebunt.

Fonticuli quoque non minimum huc conferunt, præ-
sertim

fertim cum sit affectus chronicus & rebelle magis malum; successivè enim ad evacuandam feri acrioris & vitiosi copiam cum insigni ægrorum levamine ac emolumento satis apti nati.

Ad *sectionem* denique tanquam ultimum asylum & anchoram sacram quidam sæpè confugiunt. Quæ tamen periculi satis plena est, & sæpè minus benè cedit, nisi in principio peragatur, ad liberationem plenariam. Redit enim brevi malum, fermento intimius massæ sanguinæ communicato.

CAP. IIX.

Remedia è Pharmacia proponit.

P*harmaciam* adgredientes medicamenta, quæ huic morbo opponi queunt, ex ipsius diversis loculis proponimus.

Lenientia ut in quovis morbo, ubi alvus aperta servari debet, conveniunt, sic quoque hîc loci non sunt indemnia, promittendo insignem utilitatem, quæ primas vias ab infarctu humorum pituitosorum & viscosorum liberant, blandèque intestina à collectis impuritatibus abstergunt & *κῆρω* eliminant. Sunt vero sequentia: *Cremor & Crystall. ♀i, ♀. ♂lat. hepat. rubr. arcan. duplicat. Myns. MP. ♀earum, pilul. aloet. lenient. Wedel. Francofurtenses, Glassiana & quidem vel ante cœnam, vel in ipsâ cœnâ, vel post hanc sumendæ; vel matutinis horis pil. ex aloe rosat. cum scammonio acuatæ, fol. senn. s. s. cum prunis dulc. cocta, Arcan. ♀i, Clyff. ♂ii ♂at. Species item laxantes, pro infusis & nodulis. Quando verò ægri horum usum abhorrent, suadendi sunt Clysteres ex emollient. *rad. alb. lil. alb. herb. s. emollient. fl. Cham. sem. fœni graci, lin. bac. laur. aliisque concinnandi.**

Purgantia verò, quibus, si opus sit, *præparantia* & *digerentia* præmittuntur, facillè pro lubitu Medici exercitati præscribi, ac pituitam præparare ad ejus exitum queunt. Convenient illa huic affectui omnium practitorum, & ipsius Hippocrat. loco supra citato suffragio, quò certum est, purgantibus si non tolli, saltim mitigari posse cancrum, & multis annis incrementum ejus averti vernali & autumnali curâ, imò singulis menses, averti posse. Caco-chymiam siquidem in primis viis hærentem deplent, imminuunt, ferum copiâ peccans & peregrinis particulis inquinatum fermentant, invertunt & ejiciunt.

Optima sunt ex *Gialapa nigr. resinof. Mechoacann. rhabarb. MP. de fumar. Pearum, Extract. helleb. nigr. panchymag. Croll. rhabarb. & dulc. resin. scammon. Gialap. pulv. laxat. vegetab. Mag. G. G. fol. senn. s. s. pulv. Comit. de Warwig, Cerberus triceps* & alia plura, ex Autoribus petenda, pro lubitu in variis formulis emetienda.

Vomitiva ad expellendam materiam morbificam, & saburram è ventriculo commendamus, plus interdum efficaciam, quam ipsa purgantia; unde *Willis. in Pharmac. rat. p. 56.* asserit; evacuationem per vomitum in nonnullis affectibus plus prodesse, quam purgationem decies repetitam, hæcque pergit ratione, visciditatem ponticam, stomachi plicis firmiter impactam, quam cathartica quavis præterlabantur facillè, veluti scopis purgari; & porro addit, partes vicinas, pancreas, mesenterium, lienem ipsumque jecur concussionem validam commoveri adeò, ut obstructions in iis factæ, etiam sanguinis & humorum stagnationes quæcunque hoc remedii genere facillimè removeantur. Propinari autem possunt sequentia: *rad. asar. vit. ☉ ☉. manna vomitoriorum*, & instar omnium ☉ *Emet. ad gr. iß. ii. cum Crystall. ☉. vel ☉ nat. vel alio quopiam* convenienti mistus & in vehiculo exhibitus.

Locum quoque & usum jure merito tuentur suum & aptissimum præbent præsidium *Diaphoretica*, quæ ferum abundans, acre ☉ sum, acidum & corrosivum divertunt & excu-

excus

excutiunt. Corrigunt enim non solum ichorefcientiam & vappescientiam, sed etiam in circulum redigunt lympham, & fluxilitatem humorum debitam reddunt & conciliant, cujus motus regularis sanitatis non ultimam constituit partem. Possunt autem *volatilia*, *fixa* & *media* in usum vocari, ubi vis modò saltem observato. Talia sunt \mathcal{R} . *bez. varia*, \mathcal{M} . \mathcal{S} . \mathcal{C} . \mathcal{C} . \mathcal{F} *i Theriac. Campb.* $\frac{1}{2}$ *diapb. bez. stial. mineral.* \mathcal{O} *ar.* $\frac{1}{2}$ \mathcal{F} *al. Cachect.* \mathcal{C} . \mathcal{C} . *phil. ebur* \mathcal{J} . Δ *e Mag. C.C.* $\frac{1}{2}$ *nat.* $\frac{1}{2}$ \mathcal{I} *ii, Conch. ppt. lap. Sorum, succin. ppt.* \mathcal{O} *absynth. C.C. volat. Theriac. Andromach. rob. sambuc. &c.*

Diuretica prima fronte parum quidem videntur afferre auxilii, nihilominus tamen communem usum hinc monstrant, siquidem lympham fundunt & ad excretionem per vias urinarias aptant. Eminent inter hæc *lap. S. Cochinilia. Arc. dupl. M.* \mathcal{O} . *juniper. succin.* \mathcal{O} . \mathcal{F} . \mathcal{O} *at. aperit. Penot.* \mathcal{O} *is, Clyf.* $\frac{1}{2}$ \mathcal{I} *ii, R aperit. Mæb.* \mathcal{F} *i. s. & compos. Arcan.* \mathcal{F} *i. &c.*

Ad referendas viscerum obstructions sanguinisque edulcationem *aperientia* & *roborantia* commendantur, \mathcal{R} . \mathcal{F} . *volat.* \mathcal{R} . \mathcal{F} . *balsam. Cydoniat.* \mathcal{R} . \mathcal{F} . *temperat.* \mathcal{R} . \mathcal{F} *ata, Ess.* $\frac{1}{2}$ \mathcal{I} *ii. lign. pulv. Cachect.* $\frac{1}{2}$ \mathcal{I} *in. Wedel. Croc.* \mathcal{F} *is aperitiv. At. & plura alia ex fonte proprio petenda.*

Tandem ad *specifica* transgredimur, lymphæ *suares* & *acrimonie corrosivæ ac austeræ* dicata, quorum nonnullorum sub universalibus mentionem fecimus. Sunt insuper *saturantia* & *edulcantia*, *rad. sarsaparill. scrophul. fol. coeblear. extract. fumar.* *Ess. succin.* \mathcal{R} . *bezoard. anod. succin. alb. preparat. Mag. oss. sep. Comal. preparat. matr. perlar. preparat.* \mathcal{O} *Caryophyll. succin. alb. rectific. &c.*

Inter *Topica* eminent *paregorica* & *repellentia*. Ita *succus solani* magni æstimatur à Galeno *lib. 2. ad Glauco. ung. diapompholyg.* & ejus *emplastrum reformatum*, quod optimum, *Emplast. diachalcit. dissolutum cum succo solani & rofarum*, *cataplasma ex erysimo tri. Geran. robert.* apud *Timeum lib. 4. cas. 39.* quem *succum*

cum etiam valdè *Heurnius loco citato* extollit, si misceatur cum ∇ a feminis rosarum. *Lamina plumbea* hydrargiro oblita apud *Paræum lib. 6. p. 221. Emplast. H. Myns de vanis Vigon. cum §.* & quæ alia, apud Autores practicos visenda. Minus verò juxta *Theor. 4. lib. 1. sect. 2. Amœnitat. Materia Medica sæpius laudati D. D. Wedelii* pingua & emollientia sunt proficua. Nam ubicunque materiæ malignitas & acrimonia, potius in centro detineri & coerceri eadem amat, quàm diffundi, emollientia debent exesse. Exasperatur enim magis horum usu cancer, & ex hoste latente fit manifestus; quale exemplum prostat apud *Paræum loco suprâ allegato.*

Neque *corrosiva* conveniunt, qui fervorem & ardorem in parte solum affectâ hærentem, toti tunc corpori communicant.

CAPUT IX.

Diætam adnectit.

DIÆTA conveniens, quæ in legitimo sex rerum nonnaturalium usu consistit, hîc injungenda quàm maximè est.

In VITALI *Aer* purus ad calidum & moderatè humidum inclinans, & omnium inquinamentorum expers eligendus, declinandum autem frigus, serum in receptaculis suis condensans, ejusq; hinc circulum pervertens.

In NATURALI victus requiritur tenuis, *cibus* utendum laudabilioris succi, facilisque digestionis, vitanda omnia, quæ sanguinem ejusq; serum deturpare valebunt. *Potus* sit cerevisia defecata & ritè fermentata; vinum *ὀλιγοφώγεον* sit & parcâ sumendum dosi, vel herbis convenientibus medicatum.

In ANIMALI *motus* & *quies* neque excedant, neque deficient. Blandus verò & regularis corporis motus vitæ sedenta-

denta-

dentariæ præferendus, ne capiant vitium, nîmoveantur humores.

Somnus sit moderatus, ne vappescantiam humorum augeamus, *vigiliæ* nimix arceantur, quæ spiritus absumunt & humorum acrimoniam acuunt. *Verbo*, memor vivat triti illius moniti: *medio tutissimus ibis.*

Alvus suas obeat functiones; viris hæmorrhoides, mulieribus menstrua suppressa sunt provocanda.

Animi patbemata, præsertim *terror*, *tristitia*, *sollicitudines* & *mærores*, cane pejus & angue sunt fugienda, ne medicus, de ordinatione pharmacorum sollicitus, oleum simul & operam perdat.

TANTUM.

OCcultus cancer studium
prænobile monstrat
HERVVIGH, & spondet
publica soltra brevi.

Nobilissimo Dn. Doctorando,
συνοίνω suo carissimo,
porrò successus in praxi felicissimos
precatur ex animo

PRÆSES.

Heroem

24.
Heroem oppugnans morbum,
summo auspice, cancrum,
unde ex insidiis mors metu-
enda fuit.

Te fore statorem vitæ, Te no-
mine clarum
auguror his titulis; Det
meliora Deus!

Αὐτοῦ ἐδίασῑ honoris & affectus
ergo scrib.

Georg. VV olffg. VV edelius.



